



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conciones R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu

Habitae per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.

Bourdaloue, Louis

Augustae Vindel. & Dilingae, 1716

VD18 80038840

Privilegium Sacrae Cæsareæ & Regiæ Catholicæ Majestatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68973)



PRIVILEGIUM

Sacræ Cæsareæ & Regiæ Catholicæ
Majestatis.

CAROLUS Sextus Divina Favente Clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiae, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyroli, agnoscimus & notum facimus tenore presentium universis. Postquam Nobis Noster, & Sacri Imperij fidelis Dilectus Joannes Casparus Bencard Bibliopola Augustanus & Dillingensis humillimè exposuit, se *Patris Ludovici Bourdalouë S. J.* Conciones & Lingua Gallica in Latinam translatas in Octavo, prelo subjecturum esse, vereri autem, ne alij etiam Typographi quæstus causâ idem opus fraudulenter ac magno suo Dispendio imitentur, ideoque nos exoravit, ut Privilegio nostro Cæsareo contra omnes ejusmodi fraudes sibi Consulere clementer dignaremur, Nos submississimis ejusdem precibus benignè annuentes, Omnibus & Singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopogis, aliisque quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictum opus per decem annorum spatium à die editionis computandum intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque, & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum fines simili aut alio Typo vel formâ, aut sub quovis additionis, correctionis, Versionis aliòve prætextu sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportate, vendere vel distrahere clatè vel palam citra voluntatem, & absque prædicti Joannis Caspari Bencard ejusve hæredum expresso & in scriptis obtento consensu Præsumat, si quis verò Interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare, aut transgredi ausus fuerit, cum non modò ejusmodi libris perperam quippe reculis,

recusis, & adductis, quos quidem præfatus Joannes
Casparus Bencard, ejusve hæredes ubicunque depre-
hensos sive propria Authoritate, sive Magistratûs au-
xilîo sibi vindicare poterunt, de factò privandum,
sed & pœna insuper quinque Marcarum auri puri Fisco
Nostro Cæsareo ceu fraudis Vindici, & parti Læsæ ex
æquo pendenda omni spe veniæ sublata decernimus
multandum, dummodo tamen hujus Privilegij tenor
pro publicâ notitiâ, atque cautela in fronte hujus ope-
ris expressus exhibeatur, simul ac à nominato Joanne
Casparo Bencard operis prædicti consueta Exemplaria
ad Arcanam nostram Cancellariam Imperialem Auli-
cam transmittantur. Mandamus proinde Universis
& Singulis Nostris, & Sacri Imperij, Regnorumque
& Dominiorum Nostrorum Hæreditariorum Subdi-
tis cujuscunque status, gradûs, Ordinis, aut Digni-
tatis existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus,
præsertim verò ijs, qui in Magistratû constituti, vel
proprio, vel Superiorum suorum, nomine & Loco
Juris & Justitiæ Administrationem exercent, ne
quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum tem-
erè & impunè transgredi, aut violare patiantur,
quin potius contumaces, si quos repererint, præ-
scriptâ pœna plecti, aliisque modis idoneis coerceri
curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare vo-
luerint. Harum testimonio Literarum manu Nostra
subscriptarum, & Sigilli Nostri Cæsarei impressione
munitarum. Datum in Civitate Nostra Viennæ vi-
gesima prima Januarij Anno Millesimo Septingentesi-
mo decimo quinto, Regnorum Nostrorum Romani
quarto, Hispanicorum duodecimo, Hungarici, &
Bohemici verò pariter quarto,

CAROLUS.

Vt: Frid. Carol. Com. de Schönborn.

*Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis
proprium.*

Petrus Josephus Dolberg.

APPRO.



APPROBATIO DOCTORIS.

ILLUSTRISSIMI Domini, Gallia Cancellarij,
Imandato, legi conversas è Gallico sermone in la-
tinum *Conciones R. P. Ludovici Bourdalouë à Societa-
te IESU*, Gallicè jam, nativâ autoris linguâ, post
mortem ejus editas, quas eximius ille Orator, mi-
rabili ingenio, eruditione, arte, sapientiâ, ac pie-
tate scripserat, parique eloquentiâ & fructu pronun-
tiaverat. Nihil in hac versione reperi quod fidei aut
bonis moribus adversetur, eamque præterea textus
sui puritati ac nitore, sensuique proprio conformem
animadverti. Quocirca ad Ecclesiæ utilitatem, &
ad honorem Religionis pertinere existimo, ut præ-
claræ illæ, planèque Evangelicæ ac salutiferæ con-
ciones in sermonem latinum translatae, edantur, quò
scilicet earum fructus & durare diutius, & latinus ex-
tendi propagarique possit. Quin etiam opto, ut in
alias quoque plurimas variarum gentium ac natio-
num linguas, tanti, ad veram in Christum fidem,
& pietatem suadendam, ponderis, hortationes
transferantur; hincque adeò magis ac magis in dies,
secundùm Apostoli votum, quod usurpare hic mihi
liceat, *sermo DEI currat & clarificetur*. Datum in
Sorbona die 1. Februarij anni 1713.

2. *Thess. 3.*

C. DE PRECELLES.